



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XVII. De eodem Reo imponente falsum crimen testi iniquo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. XVI. De eod. Reo imponente fal. &c. 507

qua facile vergit ad extremam, à se quisque, quoquo modo potest, avertat.

9. Num pro utrisque his certis adverte, & proximo extreme, vel graviter indigente, te extreme item indigentem non posse illud surripere, quod indigentiam sublevet, nec, te indigentem graviter ab graviter indigente. Ratio communis est, quia tunc sine controversia melior est conditio possidentis, atque adeo hic habet potius jus utendi rebus suis, ne pareat, vel ne cadat ex gravi ad extremam, quam quilibet alius.

Anposito, quod surripueris, obligeris in pari necessitate restituere, alia est questio, alibi, Deo dante, decidenda.

Certum est tertio, sicuti potest indigens in praedictis casibus pro se surripere, sic etiam alium pro ipso surripere in istis casibus posse, si is alius non habeat, unde possit de suo indigentem sublevare. Ratio est, quia tunc is surripit nomine indigentis, & ut eius instrumentum; sed si is habeat unde possit de suo, non vulgaris est difficultas. Verum quia non est admodum frequens, & nimis prolixas exposcit distinctiones, satis est eam videre apud Bonac. p. 2. de rest. in part. q. 8. p. 3. n. 8. f. 4. q. 2. de Elemos. dub. 1. 2. 3. Delugo de Just. tom. 1. d. 16. sect. 7. n. 173. &c. Nam quia sequuntur non faciunt ad praesens institutum.

Hæc est vera Tamburini Castrop. Less. Vafq. & aliorum doctrina, quam si Baronius, vel Janfenista despiciunt, afferant meliorem, & acquiescam.

CAPUT XVI.

De Reo imponente sibi falsum crimen.

1. BARON. XV. Si Reum vita, & carceris taceat, poterit, illo auctore sibi falsum crimen imponere morte multandum.

Valde liberalis est Baronius, putans solum tedium vitæ, & carceris (qui certe modus loquendi videtur significare, molestiam non esse valde gravem) sufficere ex autoritate Tamburini. Videamus ergo quid hic signate requirat strictius, lib. 9. in Decal. c. 3. § 6. n. 4.

2. TAMB. Sunt tamen diligenter duo distinguenda. Potest enim se quis infamare, vel propalando peccatum suum verum, vel impingendo sibi peccatum falsum. Hoc difficultius est, illud tanè facilis.

3. Dico enim primo, ad evitanda tormenta gravia, imò & levia, posse quemlibet occultum suum, quod commisit crimen, manifeste proferre, etiam si tibi morti imminens sequatur. Ita Less. Salon. Clariss. Reg. aliique apud Bonac. d. 2. de rest. q. 4. p. 10. n. 7. quibus adde Toler. aliosque cit. à Delugo l. c. num. 174. contra Molin. aliosque ibid. cit. Ratio est, quia quilibet potest cum laude mori propter scelus à se peccatum morte dignum, & ex alia parte obligatio conservande fame non est tam rigorosa, ut ex dictis patet.

4. Dico secundo, ad tormenta, damnaque gravia vitanda, posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiam si mors sit sibi secutura: at non ad vitanda levia. Ita Baribol. à Fausto, in spec. Confess. d. 21. q. 6. n. 5. & 6. licet immemor sui dicti, non posse sine mortali dicat ibid. d. 1. q. 2. 4. n. 14. Ratio prioris parvis est, quia nemo tenetur cum tanto incommodo vitam sibi conservare, ut alibi dictum est. Ratio posterioris est, quia quilibet tenetur vitam custodire, quando non sine magna difficultate potest, at nunc potest tormenta levia sustinere: ideo enim levia sunt, quia sustineri à se possunt, secus essent gravia. In priore dicto semper supponimus abesse perjurium, cui infamator sui providere non diffuciliter poterit per equivocationem; itemque abesse damnum tertii: quod si forte occurreret, ut si idem infamaret familiam, &c. providere etiam illi damno poterit, se statim retrahendo, ac publice fatendo; si tormentorum vi sibi crimen composuisse. Verum debet esse spes, ejusmodi retractationem profuturam, qua regulariter non adest:

PARS III.

nunquam enim illi retractanti creditur à Iudicibus. Hæc noster Author.

5. Notanda sunt illa verba ut imponente sibi falsum ab sit perjurium) cui tamen adhibet remedium ductum ab equivocatione; hanc enim adhiberi posse cum causa, supponit ex multis Doctoribus, &c. Et item illa (ut sit sine damno Tertii) &c. quamvis hic adhibeat etiam remedium ex retractatione, concludit tunc retractationi regulariter scilicet non haberi. Cum igitur, ut vides, Lector, tot cautiones Tamburinus adhibeat, potes non succedere Baronio qui duobus verbis tam diminutè ejus doctrinam evulgat? quique quod nimis sæpè conquestus sum) supponere videtur esse hanc solius Tamburini? Audiamus Joan. Sanchez alio citantem.

6. JOAN. SANCHE. Hinc ad vitanda gravia (ait disp. 47. num. 16. tormenta excusabitur quicquam etiam à veniali labe, falsum sibi imponendo, licet ob illius confessionem esset morte plectendus, quia vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur equivocatione in mente recta, scilicet crimen commississe non re, sed solum ut fateretur Iudici ad evitanda tormenta. Hanc docet Lessius, licet solum à mortali excuset; at par ratio currit ad excusandum etiam à veniali, & non esse mortale docet Navar. Angelus dicens id licitè fieri, & quo excuset etiam à veniali, Sylvest. Toler. Sotus, Vega, Sa, Coriolanus, Avon. Requius, & est multorum Recentiorum. Favet enim hæc opinio multis miseris, qui alioqui non solum corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsa metu tormentorum, &c. Et paulò post. Quod etiam verum iudico, licet falsum sibi impositionem iuret, &c.

CAPUT XVII.

De eodem Reo imponente falsum crimen testi iniquo.

1. BARON. XVI. Potest Reus falsum crimen imponere in testimonium iniquum, idque citra omnem iniustitiam, imò citra culpam mortalem, & fortè venialem.

Quod Tamburinus eam Bañez, Ledesma, Joan. Delugo, Dicastillo docet, id non esse peccatum contra iustitiam, verum est, at quod sit sine culpa, hoc profecto est nimis audacter, & falso dictum. Ecce Tamburini germanam doctrinam.

2. TAMB. Hæc passim in ore sunt omnium (ait lib. 9. in Decal. c. 2. § 2. à n. 4) Illud singulare est, & difficile, an si alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina possis illi obficere, quanta sufficiant ad tuam iustam defensionem? Dux afferro, unum mihi satis probabile, alterum satis incertum.

Probabile mihi est, te, si id facias, non peccare contra iustitiam, unde nec obligari ad restitutionem. Ita Bañez, Ledesma, Joan. de la Cruz allati à Delugo tom. 2. de Just. d. 40. sect. 1. num. 26. Dicastillo latè contra quemdam innominatum l. 2. de Just. tr. 2. d. 1. 2. p. 4. dub. 2. n. 4. & apud Dianam p. 9. tr. 8. col. 43. Ratio est, quia sicuti, ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendaciis, & fraudibus curares, ut ille v. g. in foveam caderet, mendax quidem esses, sed non injustus, cum (quoad iustitiam) haberes jus te defendendi omnibus viis. Ita in casu nostro, &c. Ratio à priori est, quia defensio vitæ contra injustè aggredientem auferit à quacunque tua adigne ad defensionem necessaria, omnem rationem iniustitiae.

Incertum mihi est, an id possit fieri licitè sine ulla culpa? & quidem Delugo ibid. sect. 2. n. 2. sic habet. Certum est, non licere, quia ad minus erit mendacium, quod nunquam licet (post quatuor interjectas lineas.) Hoc falsum, ait, crimen testis erit probandum per testes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale & per consequens

V u 2

consequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale. Hec ille, qui explicat Joannem de la Cruz, Banez, Orell. L. de sin. apud Dianam mox citandum, quos in contrarium citat idem Dian. p. 3. et. 5. et. 4. atque, eos docere, non esse mortale ex parte injustitiae, non vero, non esse mortale, ex parte perjurii.

4. Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & perjurium, sequitur si solum esset mendacium sine juramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolute de malogravi contra proximum, tamen cum iuste à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressit conc. d. Harnard. & Banez apud Dianam p. 9. tract. 8. ref. 43.

Secundo, etiam accedente juramento, posset adhiberi equivoco, tum ad me, tum ab iis, quibus certa est mea innocentia, & sic vitari perjurium, & mendacium, quo solo posito, negant communiter Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrina contrarii, iuramento autem equivoco, etiam in iudicio, sed illegitimum sit, me licite posse uti docet Castropalaus cum aliis tom. 3. d. 1. de Juramento p. 7. n. 1. ergo etiam in iudicio, ubi iniustus est testis, Videbitur igitur alii cui posse vitari mortale ab eo, qui, in praedicto casu, falsus, vel illegitimus testis culpa crimina impingit.

5. Adhuc amen incertum id esse pronuntio, ut quid enim? Si solum dicitur oportere probari esse illum testem, si excommunicatum, si hereticum? Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio, sed adhuc hareo. Quid enim si sit necesse publicas scripturas ementiri, posset ne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis. Id enim non est i. fidelis esse Reipub. sed maxime Fidelem, dum eiusdem Reip. sic innocentes defenduntur. Verum, si aperiantur huiusmodi ostium, quomodo stabunt publica iudicia? Inveniantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt Tribunalia. Dum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica iudicia firmantur, potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio. Quia tamen adhuc durum audio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo. An vero liceat crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam inferius c. 3. §. 6. Haecenus ille.

6. Quae jam lecta sunt manifeste te convincunt de falsitate, Baroni; nam Tamburino videtur difficilis determinatione, Tamburinus haeret ad argumenta. Tamburinus in aliud tempus resolutionem differt, & tu tamen dicis, illius esse doctrinam, id fieri citra culpam posse? Quae est ista licentia fingendi? Olim didici à Poëta Lyrico illud toties decantatum Piëtoribus, atque P. è is, quilibet audendi semper fuit aequa potestas. Nunc discio, etiam Theologum & etiam Magistrum, etiam Praedicatorum posse, in re ipsa comminisci quaecumque velit. Haecenus super congerie Tamburino imputatorum, transamus ad alia, ad quae Baronius transit.

CAPVT XVIII.

De iis quae in §. 2. afferunt contra Tamburinum Baronius.

1. **T**Ria in hoc §. 2. pag. 73. jacula contorquet Baronius. Primo ait, se fidem habere nolle editioni Belgicae affirmanti, protectam fuisse in Inquisitione Italica doctrinam Tamburini in Decalogo allatam.

Secundo, se tamen fidem magnam habere Curatis Parisiensibus, qui curant offerre supplicem libellum adversus ejusdem doctrinam.

Tertio amplificat, censurat, detestatque opiniones praedictas, quas (cum quanta veritate seu fidelitate supra vidisti, lector) in §. primo imputaverat Tamburino, atque inducit quaedam impias consecutiones ex ejusdem doctrina.

Separatim scribentibus si gola initium facientes in hoc Capite à primo, nam de ceteris scilicet in capitulis sequentibus commodius disputabimus.

De protectione Sacrae Inquisitionis Italicae super Decalogo Tamburini.

2. Baronius fidem non habet editioni Belgicae, & commentitium judicat testimonium in favorem doctrinae Tamburini.

Profecto fatcor, commentitium esse praedictum testimonium de ea doctrina, quam fingit Baronius esse Tamburini. Quis enim approbaret eas propositiones, ut ipse ex magna parte cum falsitate refert; nam parca cum veritate refert et supradictis cuiusque e peripocatum est. Dico tamen verissimum esse suffragium Sanctae Inquisitionis de vera doctrina Tamburini. Legimus prius testimonium, & deinde illius veritatem indigamus.

Epistola dedicatoria praefixa Decalogo Tamburini Insulis impresso.

Reverendissimo Domino D. Hieronymo de Vecchiis Abbati Montis-Regalis in Belgio, & Burgundiae Comitatu cum facultatibus Nunci, Apostolico Internuncio.

3. **T**Homa Tamburini è Societate Jassu, viri cum primis eximii lucubrations eruditissimas Praedictae Theologiae summam continentes, totaque Sicilia, & Italia celebratissimas nactus, huic etiam nostro Belgio ad famularem desideratissimam pacis auram post diuturnas gravissimorum bellorum tempestates, nunc primum respiranti, communicare cum esset visum, reverendissime Domine, capere circumspicere cuius potissimum auspicii istud aggrederetur, cum ecce venit in mentem, nihil praefer madam me fatuorum, si ad Reverendissimum Dominationis Vestrae splendorem accederem, ut ista sub hoc lucem aspicere, si ad istam amplitudinem confugerem, ut istas illa reverentia, ut protegeres, quas in Sicilia, quas in Italia à Carollianis maledicendis libidine securas reddiderunt Sancti Catholicae Fidei Inquisitores. Et vero quis dubitet, &c. Insulis anno 1660.

Reverendiss. Dominationis Vestrae adjectissimus servus,

NICOLAUS DE RACHA.

4. Hoc testimonium fideliter esse relatum tum conjecturis, tum accessione alterius testimonii certum dico esse censendum.

Conjecturae sunt primo, verissimile non esse, dedicantem opus voluisse Nuntio Apostolico per solentem mendacium illudere. Secundo; Dedicatores huiusmodi solent antequam evulgentur, communicari Patronis, ad quos Dedicatio dirigitur, ne scilicet in aliquo, vel minime apice ea sit causa offensionis. Quare Reverendissimus Dominus nequaquam permisset meplacis (quae facile poterant Romae convinci) se consecrari. Tertio, credibile sit, ipsum Reverendissimum Internuncium hoc testimonium protectionis enarrasse in Belgio: cum enim Nuntius Apostolicus, frequentissimo commercio utantur cum Romana Curia, non erraret, qui putaret, ipsi Reverendissimo Domino Roma scriptum id fuisse.

5. Sed fac, nihili esse faciendas has conjecturas, adde aliud testimonium, quo praedictum (si liveat caritas) certo confirmatur.

Nam ego juratus, hoc est, testem mei dicti Domini O. M. invocans, affirmo, Virum omni exceptione maiorem, magnaque fide dignissimum enarrasse istum, se ab